



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Annus iniens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

diorum Rex filium percuti iussit adulterii convictum, lata prius ab eo lege, ut in adulterio deprehensus & foemina eodem supplicio securi subicerentur. Quo iudicio cum neq; filio pepercisset, eum eo monumento iussit insigniri. Meminit huius legis etiam Aristoteles in Tenediorum Republica. Et proverbium in acerbos iudices inde factum, *Tenedia securis.*

PRUDENTIA. CAP. XVIII.

Macrob.
Sat. l. 1. c. 7.

Quod vero bicipitium Jani apud Romanos celeberrimum fuit, sunt qui prudentiam solertiamque Regis pra se ferre autument: prudentis enim hominis est praeterita noscere, futura vero multo ante praevidere. Hinc illa apud Persium exclamatio, cum hominis nescio cuius prudentiam desideraret.

In eadem ex
Macrob.

O Jani, à tergo quem nulla Ciconia pinxit.

Eodem ferme significato Antervorta Postvortaque, Divinitatis assumptiæ comites colebantur.

ANNUS INIENS. CAP. XIX.

Ovid. lib. 1.
Fastor.

Neque tamen desunt, qui bicipitium hoc ad munus occidendi aperiendique anni referant. Nam & Cyprianus bifrontem eum exprimi scribit, quod in medio constitutus, annum incipientem pariter & recedentem spectare videatur. Quæ vero super hoc Ovidius late describit, apud eum videnda praetero. Imberbe Jani bicipitium in numo quodam est, ab cuius altera parte quadrigæ sunt, cum Jove fulminante: inscriptio literis fossilibus ROMA, quod nimirum ipsius Reip. sigillum fuerit. Geminus vero Janus utraq; facie barbatus in argento numo est, in quo literæ, L. F. M. F. O. V. R. I. Ab altera parte trophæum est cum flagello & sceptro, cuius apex serpentinus, Roma iuxta, quæ coronam civicam trophæo superimponit.

SATURNI BENEFICIA.

CAP. XX.

Janicos plerosque numos videas capitibus geminis una cer vice contectis, una parte signatos, altera navi. Sunt qui ex hieroglyphicis huiusmodi Saturni beneficia significari tradunt, Janumque eo monumento Saturno gratiam relatam voluisse, qui navi ex Ægypto in Italiam vectus agriculturam commonstravit: nam à fatu illi nomen apud Latinos fuit. De ratico vero huiusmodi numo ita Ovidius:

Lib. 1. Fast.

*Et bona prosperitas puppim signavit in ære,
Hospitis adventum testificata Dei.*

Hunc vero fuisse primum numum cæsum, & à Jano ipso signandi æris morem inventum, plerique memoriæ prodidere. Sed & Cecropis effigies biceps facta, quod linguas duas calleret, Græcam & Ægyptiacam. Porro fama est Athenienses Ægyptiorum colonos fuisse à Sacensi civitate duce Cecrope deductos, ut Nazianzenus in Monodia Basilii.

INCONSTANTIA.


CAP. XXI.

Alioqui Mathematici bicipitium inconstantia hieroglyphicum posuere. Nam tertio supra vigesimum Leonis gradu bicipitis hominis simulachrum oriri consinxere, quod eo ascendente gradu natum, inconstantis ac leviter mutabilis voluntatis atque sententiæ fore praesagiunt.

BENE CONSULTORUM STABILITAS.

CAP. XXII.

Contra vero quos Janos huiusmodi bicipitio insignes plebisque locis videas, sed sine manibus ac sine pedibus, qua-



drange